

* P * V * I * S *

* 1 * 6 * 2 * 4 *



- I. Eximium Theologicum Augusto Principi Anhaltino Nuptias celebranti con-
secratum à M. Zacharia Wemmergero.
- II. Causarum coniectio, quibus moti status Regni Bohemiae ad Novi
Regis Electionem processerunt.
- III. Secretissima Instructio Frederico V. Electori Palatino data.
- IV. ~~Summa~~ Summa ad Christianum Daniae Regem Joan. Angelum.
- V. Soteria Academiae Witebergensis Johanni Georgio Electori Saxae soluta.
- VI. Idea Principis Boni seu Oratio de vita et Obitu Johannis Georgii Principis
Anhaltini M. Meeri Frederici Wendelini.
- VII. Panegyricus Parentalis Rudolpho Principi Anhaltino de Tur. & Eodem.
- VIII. De vita et Obitu Johannis Georgii Principis Anhaltini D. Cyriaci Herdssami.
- IX. Narratio Uberrima de Johannis Georgii Principis Anhaltini vita et Obitu.
- X. Halitudo Mariae Theresiae Francofurtanae D. Cyriaci Herdssami.
- XI. Casparis Romani Evergetes Christianus de vita et Morte Georgii
a Sebonaich.
- XII. De Industria et Studio Laboris M. Samuelis Dessemii.
- XIII. De Aeris Salubritate et Studiorum Commoditate in valle Fracimni-
ca Eiusdem.
- XIV. De Erastione, Utrum Literarum Cultoribus sit peregrinatio?
- XV. De Origine et Incrementis Cottoniae M. Benedicti Ambrosii.
- XVI. De vita et Morte Joachimi Strasburgi Wilhelmi Strasburgi.
- XVII. Iusta Funeraria Johannis Everhardi inchoato funere sublata.
- XVIII. Programmata Publicum Academiae Francofurtensis.
- XIX. Inuitatio Publica ad Doctoratum D. Cyriaci Herdssami.
- XX. De Ratione status et Prudentia Regnatricis Martini Altagii.
- XXI. De Spiritibus Familiaribus.
- XXII. Solemne Funus Octavianum de Sehlisen
- XXIII. Exequis Solemnes Johanni Christophori Herdssami.

XIE M
DE INDVSTRIA ET
studio Laboris

ORATIO

Habita in Electorali Gymnasio vallis

JOACHIMICÆ

A
M. SAMVELE DRESEMIO

α ἡ ἀρετὴ βαλεῖ διὰ μοχθῶν.
Eurip. in Heraclidis.



Typis ac sumptibus

FRIDERICI HARTMANNI

Impressoris & librorum proffitoris Fran-

cofurtani ad Oderam, Evulgata.

ANNO M.DC. XVII.

9

NOBILITATE GENERIS,
doctrinae & virtutum cultu florentissi-
mis juvenibus,

*Electoralis Gymnasij in valle Ioachimica alu-
mns, discipulis meis dilectissimis. S.*

NON debuit Discipuli dilectissimi, ad alios Oratio hæc di-
verti, quam ad quos dicta, & in quorum commodum
dicta: vobis enim, quicquid hoc est opellæ serere, & ve-
stra diligentia studiorum messem maturate voviscum ge-
stit metere. Intra Gymnasij parietes, ut Industriae &
φιλοπονίας esset suscitabulum dicta est, publici etiam juris facta
vestra esse debet, vobisque eo fine inscribitur. Totum v. id quod
allaborat, & quo nititur, nihil aliud est, quam ut labori & In-
dustriae, bonæ mentis paratis, lit. tum eat: vobisque ad futuram vi-
tam viaticum mature quærat: ne otiosa juvenus negotiosam de
cætero vitam, & odiosam efficiat senectutem. Si quibus langu-
dulis & ex morâ natis nimis terio hoc egisse videor, & suam inde
agnoscant tarditatem, & meæ ignoscant juvandi voluntati: neque
grave sit ipsis, me dicere, quod ipsi non erubescunt facere. Illi
igitur languori si renunciabunt, vosque qui Deæ Strenuæ vos man-
ci partibus perrexeritis & fortius pedem fixeritis, voti summam na-
ctus est meus conatus. Vos Euripidei illius memores, τῶν πόνων
πρωλοσιν ἡμῖν πάντα ἀγαθὰ ἐὶ θεοί, cum bono Deo feliciter per-
gite & bene Valete.

vester

Samuel Dresenius.

DE INDUSTRIA ET STUDIO
Laboris

ORATIO



Vamvis mihi apud juven-
tutem dicturo A. O. ad pulcherrimi
argumenti delicias descendere, & a-
menâ rerum varietate gratiam ex-
ambire, non consultum, sed penitus
necessarium esse videatur; Cum &
atas juvenilis ad nova & inaudita
acriter animum flectat: & quotidi-
ana illa somni sint concilium, ad qua
aurium intemperia fastidiosè nauseant; Quia tamen in bona
mentis palestra vox publica inaniter deliciarî, aut nugaci au-
rii pruritu velificari non debet, aut instar bistrionis & funâ-
buli ad risum & jocum lenocinari, Sapientes potius, qui ad bo-
nesta & utilia; quam imprudentes, qui ad jucunda & noxia
tendunt, imitandos esse video. Ludicra enim illa & amœna
nequiores, quam meliorem juventutem efficiunt: ardua & ad
republicam spectantia argumento quidem, tanquã cibi palato,
varietate gratificari videntur; nec pro illa tamen atate, nec
judicio sunt, ut aut controversa dijudicari, aut ad liquidum
deducta actione exprimi & prestari possint. Et licet ingra-
tum sit, quod quotidianum est, non tamen inutile est quod sem-
per necessarium; nunquã enim satis dicitur, quod nunquã satis
discitur. Sol ille qui vos & quem vos intuemini, quotidie no-
bis illucescit, nec indivisum propterea video: alimoniam ventri
indies porrigimus, nec fastidimus: Spiritum identidem anbe-
lantes recipimus, nec nauseamus: Cum somno vita nostra
publicano vitam ipsam partimur, & iterum sine tadio dormi-

mus; cur non sine tædio illis immoremur, quæ lucem, quæ cibum
anima, quæ spiritum, vigorem & tranquillitatem vitæ, & vitæ
ipsam impertiunt? Quo circa cum studia in formatoribus no-
vis fulcienda sint, & consuetudo argumentum aliquod, tanquã
debitum & tributum à me exigat: quid magis consultum; quã
ut studium ad ipsa studia excitem & inflammem, vobisq; in vi-
ctam & indefessam veterum industriam & laborum toleran-
tiam commendatum eam. Vos fautores & amici, quod vestri
est favoris, benevolè; ceteros, quod est officii, attente; quod
est amoris, benignè me audituros confido. Quæcunq; Fors do-
mina campi possidet, quamvis volatica sint, quamvis sursum
prorsum eant, & incerta possessionum experiantur, alterius
tamè obitu ad alium cõmeant, tanquã bona fidei depositum se-
cundum sortiuntur dominum: imo etiam cuius subrepticio he-
redi supersunt, & in partem patrimonii alteri dantur; quæ ve-
ro ad animi culturam accedunt, sive mentem elimant & expo-
liunt, sive loquelam exotico quodam succo imbuunt, illa quod
juxta mecum novistis, neq; ad heredes transeunt, neq; secun-
dum dominum agnoscunt, neq; ut vina de vase in vas elutriari
& transfundi possunt: Sed cum acquirentis industriã intercis-
dunt, vel potius cum animã terrenis se subducunt, & in ateri-
tatem recipiunt, ut mihi sæpissimè non unus homo, sed literæ
omnesq; bona artes periculum unius hominis morte adire vis-
deantur. Optandum equidem esset, ut homines sortem nas-
cendi sibi facere possent: aut quemadmodum Æthiops Æthi-
opem, ita doctus doctum progeneraret; aut eruditionem filio
cum hereditate relinquere, vel ab altero eandẽ licitari & eme-
re liceret; literæ certè quæ in viventium ingeniis nidulantur,
nec toties periclitarentur, nec industria mater omnis eruditi-
onis, tãto nisu tot ânis tot enummis ad propagãdas literas cõse-
deret. Sed alienũ est, quod optãdo venit: DEVS rebus excellen-
tibus, ne despiciatui haberentur, difficultatem tanquam præ-
ciurã

rium addidit. Quemadmodum ergo quibus liberi non nascuntur, adoptant, ita qui docti nasci, vel voto fieri nequeunt, institutione & labore fiunt. Labor n. omnis humanitatis parens & sospitator est: solus utramque paginam facit: solus eruditionem parturit, & feliciter natam sospitat & conservat: ut quamvis literati mortales, litera tamen illius beneficio renascentes, & cum literis literati, quod Alcmaeo de hominibus dicebat cirulo immortales reddantur. Quocirca cum solo labore & industriâ propagentur, & renascantur, accuratè videndū humano generi, ne incuriâ et ignaviâ nostrâ, illa quæ infirmis nituntur radicibus, quæ cum singulis hominibus citò obeunt, vel certè abeunt, per oscitantiam mundo se surripiant, & genus humanum incultum relinquunt. Nisi vero juvenus omnis eruditionis promum condum laborem amplectitur, & ut terrena Corpora terræ frugibus aluntur, animum eruditionis pastu nutrit, actum est de omni humanitate: vitia in possessionem generis humani venient, & ne quidem à pecudum vilitate distabimus: Ingenium n. omne, & ratio sylvescet, anima brutescet: Scelera & inscitia seculum possidebunt: & mens ex divina mente decepta, quantum labore & virtute ad Deum debebat accedere, tantum ignaviâ ad bestias, & infra bestias deprimetur. Barbaries vero literarum & virtutum internecinus hostis latis reversa auspiciis, tâquã diluvies superfusa, inexpiabili ignavia Sacrilégio, genus humanum vexabit: Musq; omnes & Gratia everberata ad supplicium dedita antiquum chaos portendent. Quæ si auditu aspera, si humanitatis aliquid mundo superesse, si literas in aternitatem asserere volumus, laborem tanquam unicum eruditionis pararium & literarum sospitatorem serio amplectendum esse videtis. At minus fortasse hæc formidanda, cum litera ad summam perfectionem deducta sint; cum ad militiam hanc studiorum, iter usq; ad contemptum passivum & protritum sit, com lectissimo librorū

supellectili & scientiarum armamentariis omnis eruditio ab
oblivione & barbarie asserta sit. Habet quidem A. O. hoc
seculum ferax bonis artibus magnam prerogativam: at, qua
summan, nisi custodiantur, ruina proxima sunt: & qua illa fe-
licitas, qua in paupertatem solvit? Abundamus libris, indi-
gemus ingeniis; quo n. latiora sunt haec studia eò etiam laxiora.
Quot a pars hodie ad studia propter studia accedit, nisi aliquid
uncti, nisi sebum excoquere sperent, vix respectum ad talia ha-
beant? Multi v. sub studiorum incude constituti, in speciem
Musis favent: supini, oscitantes ad illas trahuntur, nec capi-
unt literas, quarum amore non capiuntur: nunquam enim in-
vito sui copiam facit eruditio: multis studere torqueri est, vel
si ad sunt, absentes adsunt: id agunt, ut nihil agant, nugis &
crepundiis cupiditatis oculos adijciunt, in Epicuri intermun-
dio peregrinantur, nugantur comissantur, & nocturnis grol-
lationibus pervigiles, interdum somno insiticio se diffundunt, &
tamen de Aurora nimis maturà, cum Smindyride Sybaritâ &
Pontico Histiao, qui ipsis viginti annis nec occidentem, nec o-
rientem Solem vidisse gloriabantur, de memoriâ tanquã a sino-
clitellario nimis oneratâ, ut alia taceam, grandes farciunt e-
pistolas. Malus vero miles qui imperatorem suum gemens se-
quitur: expectant interim et in crastinum propendent, donec
luna descendat, credo lychnum ab illa accensuri. Ipsi demum
desperationi propiores, quod à re non habent, ab imaginatione
cum Hyacintbo sumunt: solis n. illis contingit, ut docti prius
sint, quam fiant: adeò eruditi, ut artem sapientia putent, o-
mnia ignorare. Arabas ajunt pro DEO adorasse lapidem, Se-
ijtas acinacem, Pessiauntios silicem, Samios puteum, hi vero,
qui tam docti sunt, ut nihil sciant, suam aestimant ignaviam &
inscitiam. Et nos à tali languore Musis & literis perpetui-
tatem pollicemur? sub tam lentis maxillis majestas stabit litera-
ria? nihil sanè minus: ut n. vina vase bederaceo non ajunt con-
tine-

Arnobius.



tinere, & nigras lanarum nullum colorem bibere; ita nec igna-
va illa diligentia rem literariam integram prestabit. Corpus
cujus fulturis animus sustinetur si illius sanitatem morbus in-
fuscet, si illud febricula quadam tridui vadimonio bis ter revi-
sat; DEVS bone, quo labore, quibus sumtibus id refocillant: ab
animo si quis malè habeat, id insuper habetur: quod mortale
excolitur, quod immortale morti relinquitur. Cum olim Do-
micianus vites colere interdicto cavisset, ne arva negligeren-
tur, Appollonius ille è Thyano exclamavit, terram Eunucham
feri, agris scilicet et cultis, vinetis neglectis: quales vero homines
qui corporis illud lutum excolunt, animam insuper habent?
animus nempe illorum DEI simulacrum, cælo ortus, cælo de-
bitus sylvescit: & tanquam filia benè nata, malè vero elocata
vilescit: quod enim bene inchoarat natura, id totum destituit
industria. Qui in loco insalubri habitant, si hyems nimis pro-
lixa, si æertenebrosus & pestilens, si crebra tempestates cælum
asperant: quid non, ut difficultates illas dissipant, moliun-
tur? ingenium si male habitet, si vitiorum & ignorantia tene-
bris infestetur, ne digitum quidem moveas? Valetudinarium
nempe publicum est mundus, in quo egri lecto non affiguntur,
verum inambulant, sani sibi plurimi videntur pauci morbum
suum sentiunt, omnes amant. Interea cum affectibus suis lu-
ctantur, voluptatum suarum mancipes, pecunie servi, terram
illam splendidam in oculis & osculis ferunt, sine illa se miseros
& infelices clamant, cum nemo sit miserior, quam in illis felici-
cissimus: ad virtutē v. & eruditionē tanquā ex somno profundo
oscitat. At si veterū in arduis cōatum perspicere velimus, tantus
erat ad summa impetus, tanta industria indoles, ut illi ad ipsa
fastigia pervenerint; nos ne quidem partem conservare possimus.
In rem præsentem veniamus, & exemplis in gr. s. i. m. aliquid
demus. Eleusinia fuerunt Græcorum, si rem pensitemus, nau-
ci non facienda, si illorum indoem, tantus illis labor & tolerā-

Philostra-
tus

Clemens A-
lex in pro-
treptico Se-
neca Natur
Q. 7. c. 28
Tertul-
logo in Vale-

bia, ut fidem veri in dubium vocent. Per ipsos n. quinq; an-
 nos tanquam caudices & vix homines ante januam & siparia
 consistebant, porcos exigebant, lapidem virgis cedebant: fastis
 diose demum post quinquennium ad minima mysteria admitte-
 bantur. Solus Demetrius Rex, quod tanquam insolens & mon-
 stri simile habitum, uno die ad omnia sacra admissus: Hadri-
 anus vero Imperator sexennio demum elapso. At hodie initia-
 ri, est nomen dare: nihil est illis preclusum, ad omnia admit-
 tuntur, si modo seipfos admittunt, imo sub siliunt, indignan-
 tur, quod non ipsa amystide lingue & artes infundantur. Da
 mihi sodes aliquem nostratibus moribus, cui tam diu Musarum
 fores pulsanda sint franget illas arietando, aut supino contemptu
 crepitu polentario valedicet. At si nasum illum Atticum no-
 vi, causa erat, cui illum impetum sufflaminarent: toleranti-
 am enim & laborem, vel insinuare, vel insitum explorare &
 Sapientia viaticum volebant querere. Pythagoras v. discipu-
 los bona conferre, & quinquennij silentium prestare, ipsum
 ne quidem ridere, nec tantillo os risu divaricare jubebat, non
 aliter ac si qui eloquentia gratia accesserant, mutos reddere vo-
 luerit, cum loquentes accepisset: post ipsam Olym piadem demum
 admisi olera, aquam, panem esitabant, reliquis, etiam fabis
 negatis. Et tamen Lucani, Messapij, Picentes plures trecen-
 tis illum sectabantur, sexcenti noctu ad eundem confluebant:
 idq; tanta emulatione, ut cum promiscue docere nollet, inte-
 remtus sit. Si cetera omittam, quis hodie biduum, non n. au-
 deo octiduum dicere, multo minus quinquennium, taceat? ne
 quidem si aureos montes promittas, si eruditionem haustum in-
 fundas, imo si regnum pollicearis, animum aliquis mutus esse ve-
 lit: vix id quod nesciunt, quidam tacere possunt. At ille ju-
 venem domitam habere linguam volebat: gravius siquidem
 lingua, quam pedibus hominem labi Zeno asserebat, & quid
 melius in juventute, quam modestia? ad quam respectum ha-
 bentes

Plutar. in
 Demetrio.

Laertius, La-
 blichus,
 Malchus in
 illius vita.

Laert.

apud Dio
 metra.

habentes veteres, videre in Academia grande nefas putabāt
Quid vero Stoici? pauca quidem jubebant, ingentia vero re- Ælianus.
quirebant, ad naturam scilicet vivere; & quid est ad natu-
ram vivere? Omnes sensuum voluptates tollere, somnum se-
pelire, non misereri, non concupiscere, non condolescere, imo
radices ipsas affectuum excaudicare: aqua profluente, tan-
quam vino uti, otium, ut alii mortem, expavescere: nun-
quam carni, semper animæ vivere. Et tamen Athenæ iste
tam rigido & ferreo informatori rectæ educationis meritū,
statuam posuere (Diogenes vero (relabor n. ad vetera ne-
que sine causa obstupesco) Diogenes discipulos verberibus,
initiabat, aqua illis vinum erat, fame opsonii vicem uteban-
tur: æstate cum suis arenâ calida cernulabat & volutabatur,
hyeme statuas nive conspersas amplexari jubebat, tanto rigo-
re, ac si hominem ex homine tollere gestiret. Nihilominus
tamen quidam, ut Ceramicus illius Doctoris discipulus fieret,
insaniam simulavit: & magnum illum Macedonem scimus à
se secundas illi dedisse; neque immerito, nam nec ille plura
concupiit, aut possedit, quam hic magno animo contempsit.
Neque tantum qui in sectam nomina dederant, sed in quali-
bet repub. ad tolerantiam suos condocerant: Græca si-
quidem juventuti nuda & discalceata, torus ex arundine e-
rat promiscuus: Spartæis fames pro cibo, verbera pro opsonio,
hæc n. cum risu accipiebant: in honorem Dianæ virgis pollucti
censione bubulâ ad mortem vapulabant: ut non immerito so- Plut. in Ly-
curgo. Stob.
serm. 92.
Aristoph.
ἐν νεφέ-
λαις.
la Spartana viros parere dicerentur, qui sine muris vincerent
sine anima viverent. Et tamen Diogenes interrogatus ubi-
nam viros vidisset optimos, viros quidem nusquam, pueros
vero Spartæ se vidisse. Sensisse id Athenienses puto, nam æ-
mulatione aliquando accensi, & de repub. solliciti oraculum
B sci-

DioPrusæus

scitatum miserunt, quomodo viros optimos habere possent: responsum illis, si quod optimum puerorum auribus immitterent: illi in aures puerorum oricillis insertarent, cum oraculum doctrina & virtutum vescum & solidum cibum per aurium traduces animis insertum vellet: quid aliud hodie agitur, aurum vigilant, aurum somniant, ut ferè jam aurea currant secula. At animus major fortuna bonis, animus rectè studijs conformandus erat: studia ad virtutem rectè tendere debebant: inde juvenes salutem, senes solatium, pauperes divitias, divitiarum ornamenta. prospera splendorem, adversa auxilium, omnia debebant petere consilium. Doctrina optimam nostri partem fortune debebat subducere: opes ad animum transfundere, animum cælo devovere: cætera instar Euripi sursum prorsum eunt: doctrina cujusque peculium est, illà sapientiam sibi conciliat, illà animi servitutem expugnat. Et quid augustius, quid divinius, quam sua spontis esse? secum vivere, neque in personatà, bracteata & supparatà opum felicitate felicitatem ponere? de vitiis triumphare, terram contemnere, pietati cohabitare, sibi occurrere, & se in medio sui invenire? Cum fortuna & voluptate parum vel nihil contrahere, hanc natura legibus, illam vitæ usu utramque recta ratione circumscribere? Fidium & vocum concordia suaviter nos afficit, quanto magis illa rationis & affectuum. Nemo illius votis & conatibus intercedit, nemo cavillis illum asperat, non calumnia lancinat, non conditiis irritat, suus est semper, quodque DEO proximum, non movetur. Ipse vero alios cupiditatum mancipis, fortuna quasi sub hasta venditos miseratur, vel ingenia desperata concinnat, ad officia vivendi reducit, fluctuan-

Et uantibus prudentia facem, tanquam in illuni nocte attollit.
Cum vero rerum momenta & causas subtilius sciscitatur, cum
arcanis natura nobiles infert cogitationes, totum uniuersum,
tanquam alter Deus, inhabitat, Cum natura omnia producit,
cum Luna uices rerum & mutationes inspicit, cum stellis in
uitam omnium prospectat, cum Sole omnia obit & lustrat:
tanta iucunditate, ut Democritus oculorum usum sibi inter
diceret, ne a meditationum suauitate diuerneret. O felices
animas quae mente se sistunt, ubi corpore nequeunt! quae ab
hominibus nondum abierunt, & in caelo erant! Ubi n. non-
dum erant, ibi uivebant, & ubi non uivebant, ibi erant! O in-
uita felices & post mortem feliciores! quanquam non mori-
untur, quia semper mori, dum uivebant, didicere, & cum
morerentur, se semper uicturos sciebant. Non iam innu-
meras utilitates in totam uitam & omnes uita status proma-
nantes percenseo, non quantum sit omnium librorum eupe-
dias, tanquam uarios ferculorum missus gestare, quantum do-
ctis innotescere: prioribus seculis a condito mundo interesse:
eum mortuis loqui, & genis sepultis plaudere, nemo paulo
humanior etiam inter iuuenes studiorum commoda ignorare
potest: & tamen quod dolendum, dum non ignorant; operas
protollunt & comperendinant, uel tanquam equi fossarum
abrupta horrent & difficultatem suae morae tanquam mormo-
lycium pratendunt. Nempe quia laborem fugiunt, illa red-
dunt difficilia, quae facilia erant futura, si laborarent. Et
quidnam in uita sine labore acquiritur? Homo cum labore
oritur, & moritur, & nescire uult, se ad laborem natum:
quae sine labore acquiruntur plena sunt fastidij: est n. instar
condimenti rebus additus; ut quae alia uilia, labor illis ad-
dat precium: DEVS laborem uita individuum comitem addi-

dit, & tanquam divinum pensum & tributum exigit. In-
junxit n. quia juvare voluit, & quia juvat, voluit injunge-
re. Ipse labor generosos animos nutrit, Corpus vegetat,
valetudinem conservat: nemini à labore mortis metus; ris-
su n. non irâ ulciscendi, qui mortem à literis metuunt: imo
si literis immorari & immori, perire est: perimus, nisi
sic perimus, quamquam interire qui potest, qui virtute &
literis mortalitatis aliquid deterit, & ad vitam immortalens
quotidie addit? Oculos quos paululum mecum attollite, & il-
la, in quibus natura aurigatur, intuemini: tolle motum ex
natura & da otium, tollis naturam ipsam. Sol quem stu-
diis Ducem antiquitas dedit, ecquando connivet, ecquando
dormitavit, aut in cœna plusculum se invitans lucis vadimo-
nium deseruit? ipse formosis comitatus sideribus sublat a qua-
si voce, id quod Numa in sacris per praconem inclamat, Hoc
age. Astrorum illa luculenta pervigilia cogitate, alia in-
mundum prospectant, alia finitorem stringunt, alia cœlum
totum circinant, omnia laborant, & ad remedium insidian-
tis ocii invitant. Maria estu inquieta sunt, aternitas ipsa
motu se vegetat, & quod nobis labor, illis natura est. Illa i-
taque in iugi motu, solus homo parvus mundus, universi com-
pedium, celi heres, aternitatis candidatus, otio se pollincire
gestit, solus otium somniat: seque infra avium & formicarum
vilitatem abijcit? & quid est otium? mors anima, thesaurus
inscitiae, bonae mentis remora, vitiorum nutricula, ne-
quitiae officina, barbariei diversorium, impietatis contu-
berniū, & humani generis sepulchretū. Ecquis unquam otio co-
ronam meritus est? primus homo, dum otiat, paradiso
excidit. flos hominum Divus Paulus, dum mille differtur la-
boribus, in tertium cœlum raptus est. Ecquis somno immor-
talis

talis factus est? nisi forte Epimenides, Endymion, & noviti-
us Anglia Endymion qui se ipse sedecim dies somno sepelivif-
se legitur. Industrio certe otium pena est: ignavo v. sce-
lerum ansa, neque n. sine peditatu vitiorum unquam acce-
dit: ab illo scelerata tanquam à polypode cirri dependent, ita
ut magna debeat esse voluptas, otij voluptate non capi. Mor-
tem a versamur, quia nihil agendum restare videtur, morie-
mur ne igitur otio, antequam moriendum, ut cum vivendū,
moriatur? qui n. otio tanquam mandragora & opio torpes-
cit, ille recta rationi, Deique voluntati mortuus est. Vita
vigilia est, vivamus igitur; somnus mortis est fidejussor &
antambulo, imo totius vita avarissimus publicanus; nemo
dormiens alicujus precij est: & quo plus dorminus, minus
vivimus. Quid igitur? otio funus nobis viventibus duce-
mus? moriamur potius vitijset ignavia; ne vitia per vitā
nostram vivant, & eandem interimant: priusq; quam sape-
re incipimus, esse desinamus. Sed magna ajunt sunt studio-
rum difficultates (ista n. aures meas circumsonant,) quas
juvenis enavigare non potest? O delicata hominum querela!
quanam spissa illa & illunis studiorum nox evincenda est? an
eruditionem tanquam margaritas, coralia & halecem in
mari venamur, vel instar ferae, illius vestigiis insistimus?
de plano hodie Musas accedimus, ultro doctrina offertur, ve-
reor ne multis invitis, non opus parario: ad studia hodie si-
ne viatico, sine periculo itur. Nihil opus, cum Euclide, Diczarchus
cum Lastenia Mantinea, cum Axiothea Phlasiā sexum men-
tiri vel persona palliare: tu modo occasionis articulos preme
somnum sepeli & temporis ansam tanquam pradam anticipa:
bonae spei ignem laboris flatibus eventila: & plenam volunta-
tem ad Musas adfer: qui n. discere noluerit, docere eum quis

poterit? Sint sanè prima rudimenta aspera & difficilia; ac
 cogita radicis amara quam luculenti fructus: cito enavigan-
 tur ista angustia: à properantibus ne quidem sentiuntur.
 Ad iter scrupulum pedes firmamus, majori nisu adversus
 clivum equum agimus, cur nō in illis animi vires intēdimus?
 quid oscitamus & nauseamus? Quicquid insigne ex arduo pe-
 tendum est: omne dulce precedit acidum: vis nucleum comes-
 se, frange nucem: rosas spinae armant, mella metus aculei,
 ver antecedit hyems, pomi maturitatem acidus sapor. Ceres
 cum frumenti usum homines doceret, nisi purges, dixit, &
 molas, non comedes: & tu doctos tanquam fungos una vis
 pluviā nasci. Quemadmodum mortem omnes acerbam
 putant, qui nunquam mortui sunt, ita rudes omnes de diffi-
 cultate inexpertā queruntur, eruditiorum nemo. Quic-
 quid id est difficultatis, quanquam ò? Sed perit de rebus
 humamis pudor, sit aliquid, id totum amor minuit & edul-
 cat: ille glaciē frāgit: ille vadū tētat, & quia tētat invenit. A-
 mori nihil grave est, nihil asperum, omnia potest, quia a-
 mat, & amat quia posse videtur. Ipsa Musa & litera admissio-
 nem habent facilem, amant n. cum se amari sentiunt. Vene-
 rem, ajunt fabula mulcendis auribus nata, filium Amorem
 mortaliū peperisse formosissimum: sed illum primis annis
 omni corporis augmento caruisse, nihilque quam frustum
 hominis, DEI debebam cum Ethnicis dicere, fuisse. Anxia
 parens consulit Themidem vaticinio nobilem. illa Amorem
 sine socio quidem nasci potuisse, crescere vero non posse: sensit
 vim oraculi mater, & Anterotem parit: quo socio ad men-
 suram corporis pulcherimam Amor emerfit. Sic musa &
 litera crescere, nisi amentur, & amare, nisi amentur non
 possunt: odio fortasse fuerint, & si non oderint, diligere, ni-
 sidi-

ἢν μὴ κα-
 θάρσις
 καὶ λείψης
 ἢ μὴ φά-
 γης
 Diogenian9
 Cent. 5. 18.

Themistius
 Euphrades
 oratio. 6.



si diligantur, nesciunt. Sed nec in speciem & ore tenus amanda sunt litera, res verbis subscribere debent, nec ignavâ diligentia tempus prodigendum: ut n. frigidè laudare, vituperare est, ita ignavè & ductariè agere, contemnere. Scio equidem humanum ingenium molliter sibi adulari, & otio velificari: scio juventutem laborum diverticula & compendia somniare, angustiam intellectus causari: sed & illud scio, tantum vigoris, tantum spirituum homini concessum esse, ut supersit potius, quam desit: animus enim hominis inquis es, etiam in ipsis infantis involucris: Cor micat: vena palpitant: mens ipsa maria & terras pervolat, ne tum quidem, cum sopita est, quiescit: Ubique praesens, ubique pervigil. eò divinior quò ad motum proclivior: & eò mobilior, quò frequentius movetur. Vt enim fax inconcussa torpet, ut mare ventis non agitatū putrescit, ut caro sine sale atatem ferre nescit, ita animus nisi laboret rubiginem contrahit: nisi doctrina oleum instillet, floccescit. Crocum pedibus calcatum melius ajunt provenire, non aliter ingenium, splendet n. cum exercetur, amulatione seipsum superat & miraculo proximum est. At difficilimum ajunt, & absint hij plenum toto dies libris, tanquam gallina ovis, incubare, omnes horas labori appreciari, ad signum vivere, ad signum surgere, ire, abire, ad annos aliquot operam promissam dare, & instar servi ad alterius nutum vivere. Delicata certe querela. qua auribus meis tanquam nania pueruli de jentaculo solliciti occētatur. Quis sedētarius, salgamarius caprimulgo aut seplasiarius maturius ad operas se nō accingit? quis cerdo ad annos plures suā operam, ad fumum, ad cinerem, ad sordes & lavatrinam non obstringit? hic vero sub Illustrissimī Electoris, qui rerum humanarum splendor est, vexillis quis non malit mereri? sibi viatica vita lucrari? bona menti
vive.

vivere, se quotidie perficere, & cum belua intractabilior fuerit recta rationi & pietati curandum se committere? cœlum ipsum, angeli, cum toto universo, alterius nutu vivunt, & puer sibi postulat relinqui, ut nempe, cum DEI debeat esse effigies, fiat larva diaboli. Quid enim videmus aliud fieri in illis, qui inter vitia & delicias, adolefcunt? quid spei ex illis ad rempublicam & vitam humanam redundat? cum ad summum venere, homines sunt betacci, Daunia pecora, Margonautæ, herba parietaria, macula, vibices, & propudia familia, sceulo inficiandi odia generis humani: nec mirum aliorum odia illos incurrere, cum ipsos se oderint. Quid vero sunt opera nostra literaria, si ad reliqua vita officia illas conferamus, si ex promiscuâ; & proletariâ plebe, quæ in agris, in mercatu, in militia in metallis & mari occupata est, aliquot evocemus; se laborare, nos ociari clamabunt. Nec mediis fidius, ut hodie mos possidet, parrem calculum ponimus, premia tamen majora ex ambimus. Agricola sive in agro restibili, sive veruactò sementim fecerit, semper desperat otium, nunc glebas findit, nunc sublucando sylvescentia succidit, cum terra sterili indole, cum robigine, & æeris intemperie, cum innumeris difficultatibus instar hydra succrescentibus luctatur, nunc invidia, nunc incantamentis expositus, semper anxius & sollicitus, solâ spe de anno futuro dives. Mercator non rupes & scopulos, non marinas beluas & Syrtes, non piratas & naufragia expavescit, cum rerum natura, cum tempestatibus & barbaro elemento delucro contendit: quot sunt qui propter pecuniolam quamvis, non insidias, non vulnera, non cades, non terra hiatus, non denique quicquid est laborum instar muli Mariani aversantur. Ergo illi incerta, terrestria, evanida,


da, tanto labore fatigant; nos qui bonis literis & virtuti sacramentum dedimus, nos animi stabiles divitias, nos divina, & Deo proxima ut indispiscamur, ne transversum quidem digitum movebimus? & cum illi tanto labore rempublicam literariam condiderint, nos illorum quasi subrumi, rejicula, & degeneres nepotes nostra ignavia & imbellia illa proditu ibimus? Quid pro seculo nostro, quid veterum pertinaci industria, quid illis quorum nomina in albo eternitatis respondebimus: illi dum literaru satagerent, in holmo, in storeis cubarunt: illi lapide cervicalis vicem, tomento spinis farto pro plumis & culcitra usi sunt: ut scilicet posteri haberent quod perderent. Cleanthis puteu, Platonis horologiu, Demosthenis antru, Aristotelis pilam & pelvim puto novistis. Plinius horarum ipsa momenta ad laborem dispungebat, Augustus inder radendum discebat; Scopelianus a vespera indiluculu lucubrabat: Anaxagoras quadraturam circuli in carcere quarebat. Cum rerum copia luctor. A. Niceas adeo sui in opera obliviscebatur, ut an lotus esset quareret: Iulianus etiam in sepulchro discere gestiebat. Livius Drusus soli sibi a pueris nunquam ferias fuisse dicebat: Teophrastus cum nonaginta & amplius annos in literis versatus, omniscius ferè esset, tempus perditu lachrymis deplorabat: Gymnosophista ab ortu ad solem accasum sabulo ferventi alterno pede insistentes, irretortis oculis coeli oculu aspectabant, tademque igne mortalitate quasi exuebant: quid hodie agimus? si cum illis coferamur, ociamur, dorminus, deliciis permadesimus. Vita Deu immortalu! si actiosa illa anima in hoc seculu prospiceret, acidissima oratione aures nostras vulnerarent; imo lachrymas si possent, ab oculis suis exorarent; rem novam & horredam, supplicia per ignavia de eruditione sumi: hoc seculo, quo ingenia ad suum pervenere, ingenia desinere: se inexhausto labore ad fastigiu rem promovisse, qua nunc incuria succedentiu ruinam & ruderaminetur: se vita sanguinem & patriam literis restituisse, nos perditu ire; imo restituisse, ut essent, qui restituta perderent. Quasi homine indigna, si humanitatis interitum, si toti mundo pestilentissimam minantur perniciem, & chaos Cymmeriu port-

tendunt, quotquot stadijs in ditionem vos dedistis, vos alloquor
 lectissima ingenia, agite, ejurate mentis illum veternum, nova
 industriam tãquã Atlante vel Hercule cœlũ fulcite literarium: ita
 in artibus versamini, ut artes esse velitis. Statores este & vindi-
 ces literarij, & cũ eruditio cũ singul. eruditio moriatur, & in cuius
 vis obitu periclitetur, labore vestro renascatur, & aternã juvẽ-
 tute florescat. Per gemũ humanitatis, per manes eruditorũ vos
 obtestor, nolite cõcedere ut barbaries, quã litera sustulere literas
 tollat ut ingenis situs abjectissimus redeat: ratio captiva ducatur:
 & homo somno otioq; mancipatus, qui tẽplũ Dei esse debebat
 fiat spelunca vitiorũ. Temporis sit sacrosancta vobis possessio; dis-
 scendi occasione nõ perditẽ, sed quarite, ne cũ perdidistis, frustra
 requiratis. Eò avarius istis utendũ, quò celerius transeunt.
 Tempus inquã, tẽpus aureã staterã ponderate, illius impensã ra-
 tio, nõ minus, quã pecunia, vobis constet. properat enim, prope-
 rat, dormienti elabatur, à vigilante opprimitur. Nemo alterius
 ignavia irascatur, sed sua medeatur, plenã voluntatẽ cũ factõ
 iungat: nã licet nihil fiat, nisi voluntas adsit, tamen ut fiat, so-
 la voluntas nõ sufficit: nemo hesitet, aut fieri posse dubitet, cũ fa-
 cta videamus, quã facienda dubitamus. Si amor, si labor si perse-
 verãtia adfuerit, firmatã fidẽ do, negotiũ sub manu succedet: ve-
 niẽt eruditio, veniẽt Musa. si qui erudiri velint, invenerint. Ma-
 gna injuvenute eruditio est, discere velle: maxima & cõsumata sã-
 per velle, & nõquã nõ facere. Stat vita õnis & humanitas literis
 statibus, illis cadẽtibus intercidũt. Vos ergo iisdẽ studiis, quasi cõ-
 germinati, otij ansas procul habete, laborẽ amplectimini, si indu-
 strij estis, ultro si pij, Dei mãdato, si cauti, natura ductu, si discipu-
 li, meo monitu si laudis cupidi aliorũ exẽplo, si tardi & segnes, dã-
 no & gravissimout occuratis periculo. Sic cũ multo seculi nostri cõ-
 modo literarũ aterna reddetur gloria: vestra & generis humani
 accrescẽt divitiã, doctrina & virtus seculũ possidebunt. Sic vestra
 laudi tãquã aternitatis cãdidati intereritis: & seculũ quale majo-
 rũ beneficio accepistis, politiss. et eruditissimũ posteris relinquetis.

τὸν μεταλλάξεντος οἱ τῖνοι γλυκεῖς.

Sophocles in Laocoonte,





Nh 122



ULB Halle 3
002 714 272





A white rectangular library label with a barcode and the text 'ULB Halle 3' and '002 714 272'.

St

1017







XIIE 11
DE INDUSTRIA ET
studio Laboris

ORATIO

Habita in Electorali Gymnasio vallis
JOACHIMICÆ

A
M. SAMVELE DRESEMIO

α δ' ἀρετῆ παύειν διὰ μοχθῶν.
Eurip. in Heraculis.



Typis ac sumptibus

FRIDERICI HARTMANNI
Impressoris & librorum proffitoris Fran-
cofurtani ad Oderam, Evulgata.

ANNO M.DC. XVII.